



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Sive Antinomia Ivris Pontificii Et Cæsarei - per CCL. Differentias plurium
Doctorum auctoritate probatas, singulari studio in certas classes reducta,
discussa, & explicata

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

CLXXI. Differentia 42. Iure civili non potest fieri denunciatio, nisi de certis
quibusdam criminibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61864)

Lure civili non potest fieri denunciatio, nisi de certis quibusdam criminibus. *c. un. Vi. eccles. benef. sine diminut. conferantur.* Lure Canonico autem de omnibus licet. *c. novit. De iudic. c. si peccaverit. 2. 2. 1. c. si quem §. abolitio. 2. 2. 3. Galvanus 36.*

I. **O**diosa est litium multiplicatio, alienos mores criminantium immoderata libido: multi, quos ulcisci præ imbecillitate non licet, iudicis sententia depressum eunt: iuste an injuste nihil pensi. Quam ob rem nec accusare cuilibet, nec denunciare de quolibet delicto leges permittunt. Ne autem impunita maneant flagitia, olim magistratus officiales, deputabant, qui reos criminum deferrent: hoc tempore in eundem finem Syndici constituuntur. Quem morem in Italia communem esse Marian. testatur in *c. Qualiter & quando. num. 30.* In multis etiam Germaniæ locis observari scimus.

Lure communi autem permittitur omnibus illis, qui à potentioribus afflicti, oppressive ab accusatione repelluntur. Cujus generis sunt, filij servi derelicti, inopes, & omnes personæ miserabiles, viduæ, pupilli, orphani, infirmi, valetudinarij perpetuo morbo detenti, & similes. His officium iudicis implorare per denunciationem & querelam simplicem licet, quia unde iudiciorum solemnitate, & ritus sustentent, non

inveniunt Abb. in *c. Novit. De iudic. Speculat. tit. de Denunciat. §. 2. Ostiens. in Sam. cod. Piasec. in Praxi Par. 2. c. 4. n. 14.*

II. Quod Galvanus asserit de omnibus delictis Lure Canonico denunciationem concedi, ita intelligendum est, si prudentia dicitur, & charitas non laeditur. Nam primò denunciare non licet ea, quæ minus certa sunt, & cum damno proximi injusto coniuncta. Secundo nec ea, quæ probare non valemus, saltem ita, ut iudex possit, ac debeat ulterius inquirere Excipe crimina contra fidem, ac Religionem Christianam: impedimenta matrimonij quoq; quæ ad impediedum peccata, etiam si probationem desint, manifestare licet. *V. Henric. l. 11. De matrim. c. 14. n. 5. Gutier. l. 1. quæst. Canon. c. 11. n. 27. & 28. Sauch. De Matrim. l. 3. Disp. 13 n. 1. Silu. V. Denunciatio. Vallens. l. 5. tit. 1.*

§. 5.

* *